



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Opinionis vsus quandoque licitus, quandoque illicitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

434 **Opinione vti.**

aut nutriti in secta illius doctrinæ. Secundo ex non relatione ad suam regulam: omnis enim opinio examinanda est ad suam regulam. Et quia in his quæ sunt fidei & morum, regula est sacra scriptura exposita ab Ecclesia catholica, non excusatur aliquis à quantumcunque rationabili opinione in huiusmodi, si suspecta est communi Ecclesiæ seu Apostolicæ sedis. Et hinc damnantur credentes hæreticorum & antiquorum & nouorum adhærentes doctrinis reprobatis aut suspectis saltem apud sedem Apostolicam. Tertio, ex modo: dum nimis firmiter inhæretur opinioni: & asseritur vt certum atque indubitatum, quod tamen est intra latitudinem opinabilem. Et hinc sæpe erratur ex nimio affectu ad nostra, & minore quàm opus fuerit examine, resolutione ac iudicio, dum prohibita accipiuntur vt demonstrata.

*Opinionis vsus quandoque licitus,
quandoque illicitus.*

Opinione vti vt regula operum interiorum & exteriorum, est quandoque licitum, & quandoque illicitum. In credendis quidem illicitum est: nisi submittendo opinionem regulæ superiori, scilicet sanctæ matris Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis: quoniam ambiguitatis aliquid habens regula, qualis est opinio omnis, resolueda est in regulam certam ne error possit in fide inueniri. In operandis verò nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cuiuscunque assumere vt regulam operis: quoniam eo ipso quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguae: quia opinio omnis ambigua est, vt pote cum formidine alterius partis. Et quia præsupponitur quod non eligatur tutior pars, consequens est vt operatio cōmittatur regulæ ambiguae ad casum peccati.

peccati, ac per hoc exponatur periculo peccadi, quod constat esse illicitum. Et si de peccato mortali agitur, constat esse peccatum mortale, facere scienter operationem dubiam an sit mortalis: quoniam talis operans mauult implere voluntatem suam in tali opere, etiã si sit mortale, quã abstinere ab illo: ac per hoc præfert diuinæ amicitia opus illud, non curando si contingat perdere diuinam amicitiam ex tali opere. Et hæc intellige de opinione propriè dicta, vt diximus, quæ est cum formidine alterius partis, & per se loquendo. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diuersi doctores contraria sentiunt quoniam cū huiusmodi contrarietate stat quod vna pars ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta: & iam non opinio apud capientes rationem illam: sed quia nesciunt multi discernere inter certitudinẽ moralem & mathematicam, omnia quodammodo locat sub opinionibus. Dixi quoque per se loquendo: quia per accidens contingit nescientes discernere inter notum opinione, & notum certa ratione morali, errare & excusari, credentes absque formidine alterius partis viris probis & doctis dicentibus, facite sic, quia potest licitè fieri. Non enim exigit Deus ab homine plus quã conditio hominis habet: quia diuina sapientia disponit omnia suauiter.

Oratio perfecta præsupponit attentionem: & sine attentione orans irreuerentia vitium committere dicitur.

Oratio ex intentione sine attentione, illicita est propter irreuerentiam insertam. Oportet enim etiam supererogationis bonũ bene agere, aut saltem non malè: constat autem irreuerenter loqui Deo,

D d s g u j